

www.e-rara.ch

De finibus utriusque potestatis, ecclesiasticae, et laicae commentarius

Liruti, Innocenzo Maria

Lugani, 1779

Biblioteca Salita dei Frati, Lugano

Shelf Mark: BSF 37 Da 2

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-19061>

Caput XIX. De immunitate clericorum in causis tum civilibus tum criminalibus, positiones historicae. Adduntur nonnulla de poenis ecclesiae corporalibus, seu de poenis civilibus, quas ecclesia ...

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

C A P U T X I X .

*De immunitate CLERICORUM in Causis tum Civilibus
tum CRIMINALIBUS , Positiones HISTORICÆ. Ad-
duntur nonnulla de PŒNIS Ecclesiæ corporalibus ,
seu de Pœnis CIVILIBUS, quas Ecclesia infixit ve-
tusto tempore .*

1. **H**X annotato THOMASSINI loco , secundum methodum Capite su-
periori propositam , itemque ex MURATORII *Antiquitatibus Ita-
licis Medii ÆVI* , & ex Natalis ALEXANDRI *Ecclesiastica Hi-
storia* , dicendum nunc est de Jurisdictione Ecclesiastica in CLERICOS , seu
de Immunitate CLERICORUM in Causis tum Civilibus, tum Criminalibus.

2. Ob quas causas Laici Fideles a primo Ecclesiæ tempore , & de-
inceps lites suas ad Episcopos detulerunt tanquam ad parentes & arbitros ;
ob easdem causas , secundum Apostoli sententiam , id fieri multo magis
oportuit a Clericis .

3. Et ut id a Clericis fieret , sollicitè caverunt Patres & Conci-
lia , pœnis etiam decretis adversus violatores sanctissimæ hujus voluntatis
Ecclesiæ .

4. NEQUE solum Clericis erat vetitum , alios causarum suarum Ju-
dices seu Arbitros quærere quam Episcopos ; sed LAICI etiam per JU-
STINIANI Imperatoris Leges jussi sunt Lites suas ADVERSUS CLERI-
COS ante committere sententiæ Episcopi , quam Judicio Magistratuum sæ-
culi ; quos tum tandem adire licebat , si non valuisset Episcopus causam
terminare , vel si differret judicare .

5. Si quas autem causas haberent Monachi vel Clerici ad invicem ;
dijudicabant eas ac componebant vel Concilia Provincialia , vel , ut Episto-
lis GREGORII Magni docemur , Episcopi .

6. Sed si de CRIMINE vertebatur quæstio , Publicum cognovisse Ju-
dicem ,

dicem, discimus ex JUSTINIANO eodem, siquidem crimen esset civile & commune seu adversus Politiam Civilem & Publicas Regni Sanctiones: si ECCLESIASTICUM vero esset CRIMEN seu proprium Clerici & contra DISCIPLINAM Ecclesiasticam & officium Clericale; tunc cognitores erant non alii, quam Ecclesiastici.

7. Immo & in DELICTO CIVILI, per posteriorem JUSTINIANI constitutionem licebat Clericos accusare coram EPISCOPO; a quo convicti, deponerentur; tumque illos Judex Publicus secundum Leges corripiebat.

8. Quod si in eodem Delicto Civili, prius Judici Publico delati Clerici fuissent; tum Judex Acta communicabat cum Episcopo, cui si de veritate judicii constitisset, ab eo Clericus deponeretur, a Judice autem pœnis afficiebatur.

9. Sed si Episcopo non satis Reus videretur convictus, Depositionem procraftinabat, donec Imperator pronuntiasset.

10. EPISCOPORUM vero cum & dignitas eminentissima sit, & auctoritas; ad Judicium vocari eos nefas erat, nisi Episcoporum, Metropolitanorum, Patriarcharum, sive prima cognitione, sive per appellationem, tam in pecuniariis & civilibus, quam in CRIMINALIBUS Causis; ut nunquam apud Judices Laicos conveniri possent, nisi jussisset Imperator. Ita JUSTINIANI item Legibus decretum fuerat. A Regibus GALLIÆ, ait THOMASSINUS, primæ, secundæ & tertiæ Dynastiæ illibatam id privilegium Episcopis vindicatum est, etiam in Majestatis criminibus; ut ne reos usquam agere eos liceret, nisi in Conciliis ab aliis Episcopis judicandos. Adde, iis id privilegium vindicatum esse & alibi.

11. EX CASSIODORI epistolis iis, quas nomine THEODORICI Regis ITALIÆ scripsit, discimus, in hujus Principis Regno PERSONALES Clericorum Causas, etiamsi ageretur de Criminibus, Episcopali Judicio integras fuisse servandas: sed reales quas Laici Clericis intenderent, aut Clerici Laicis, apud publicos Judices solitas disceptari.

12. Recte ergo Natalis ALEXANDER in *Hist. E. Sec. 6.* Quamquam Clerici, ait, sub Regibus GOTHORUM, in causis Personalibus, plenissima immunitate in ITALIA fruerentur; non tamen in Causis REALIBUS, illæ enim ad Curiam Principis deferbantur.

Hæc paulo ante JUSTINIANI tempora facta sunt.

13. IN CONCILIIS Gallicanis Sæculi VI. prohibiti sunt CLERICI ad Judices sæculares quemquam provocare INJUSSU EPISCOPI; prohibiti sunt & criminis cuiquam litem intendere; permitti sunt tamen provocati

cati accedere ad Tribunalia Judicum, annuente EPISCOPO.

14. Cautum præterea est in iisdem Conciliis, ne LAICI ipsi Clericos ad Tribunalia Judicum vocarent, nisi MONITO ante EPISCOPO. Scilicet præmoneri se volebant Episcopi de Litibus, quas vel Clerici Laicis, vel vicissim Laici Clericis intenderent coram Iudicibus sæculi; ut eas ipsi extinguere ac tollere exorientes possent.

15. Alia Ecclesiæ illius Decreta adhuc ultra progressa sunt. Edixit autem CLOTARIUS II. Rex Sæculo VII. ineunte, ut Causas CRIMINALES Clericorum conjunctim judicarent iudices utriusque Fori, Sacri & Civilis; reus vero convictus, Canonicis pœnis subiceretur tantummodo.

16. Et, si quæ lites inter Clericos & Laicos extiterint, eæ utriusque pariter Judicis cognitione sedarentur. Adest Edictum hoc CLOTARII in *tomo 6. Concilior. edit. Veneto-Labbeana col. 1392.*; datumque est. Anno 615. & 31. Regni ejusdem Clotarii.

17. Ea Sæcula, quæ nos hæctenus percurrimus, MURATORIUS, fere non nisi intra Italiam sistens, in *Dissertat. LXX. Antiquit. Med. ævi* illustrat monumentis ad Regnum LANGOBARDORUM spectantibus. Ex quibus hoc videmus (ait), auctoritatem quoque Principis imploraram fuisse, quum controversiæ inter Episcopos, vel Clericorum adversus Episcopum suum querelæ insurgerent. Cujus rei CAUSAM opinatur MURATORIUS esse petendam ex similitudinibus ac bellis, quæ diutissime viguerunt inter Langobardos atque Romanos, dum Græci Imperatores Romæ, nunquam a Langobardis subactæ, imperarunt.

18. Propterea enim opinari licet (inquit) multos obices in Langobardico Regno fuisse positos legitimæ Romanorum Pontificum & Episcoporum auctoritati in Ecclesiasticis negotiis. Profecto (dixerat paulo ante) CLERI JUDICES legitimi a primis Ecclesiæ Sæculis EPISCOPI fuere. Episcoporum vero Romanus Pontifex, Concilia, Metropolitanæ.

19. Quamquam est illud addendum, Jus Episcopi in Judiciis Clericorum, in eo plerumque a LANGOBARDIS relictum fuisse integrum, quod non ipse Princeps examen Judicii Episcopalis assumeret, sed, jussione sua interposita, REVISIONEM Causæ novam illi ipsi Episcopo relinqueret, qui prius judicaverat. Ita ex MURATORIO.

20. CAROLUS MAGNUS, ait THOMASSINUS, per Capitularia sua pristinæ integritati reddidit CANONES priscos de Jurisdictione Episcopali editos. Secundum hæc ergo CAPITULARIA, si duo litigarent Clerici, quacunque de re ageretur, cognitor esse non poterat nisi EPISCOPUS.

31. In CRIMINALIBUS vero non alium item præter EPISCOPUM fortiri Judicem poterant: & ne LAICI quidem Clericos convenire poterant & accusare, nisi coram Ecclesiastico Judice, qui secundum Canones & LEGES judicare tenebatur, pro natura Criminis aut CIVILIS aut Canonici.

22. Et, si sæculi Judex aliqua pæna Clericos constringeret, antequam illos & Episcopus permisset; Excommunicatione percelleretur, secundum eadem CAPITULARIA.

23. HÆC quidem, ex Capitularibus desumpta, pertinent ad causas clericorum tum Civiles tum Criminales inter se, & Criminales LAICORUM adversus Clericos. Quod vero attinet ad causas clerici adversus LAICUM; ex iisdem Capitularium legibus, coram Judice civili sistere se non poterat Clericus, nisi permittente EPISCOPO, quacunque demum de causa; & universim prohibebatur, ne quemquam in crimen ageret coram Judice Sæculari.

24. At si LAICUS ex Causa CIVILI convenisset Clericum coram Sæculari Judice; declinare is non poterat, inquit THOMASSINUS, Forum civile; nec poterat Episcopus non id permittere; cum posset quidem LAICUS Episcopale Forum Laico antepone, non tamen cogeretur; dummodo permissum EPISCOPI præcessisset.

25. Quod permissum EPISCOPI, in his postremis etiam causis, non ob aliud expectari a LAICO oportuit, nisi ut Episcopus, dum antea admonitus esset, posset ipse dissidium suis in exordiis abrumpere sine moris ac sine strepitu, magis velut Pærens, quam ut Judex. Atque huc spectasse existimo caput octavum Capitularis HERARDI Turonensis Episcopi Sæculi IX., in tomo 1. Capitularium Regum Francor. Baluzii edit. Parisien. col. 1287.; quo sancitum est, ut nullus Laicorum quemquam Clericorum ABSQUE PERMISSU EPISCOPI compellat ad causas ire ad Judicem publicum. Et qui fecerit, donec corrigat, ab Ecclesiæ societate pellatur.

26. CÆTERUM cum omnium intricatissimæ illæ essent Causæ, ait THOMASSINUS, ubi Clerici cum Laicis contendebant, excogitatus est tandem (seu renovatus) Conventus Judicum MIXTUS, hoc est, ubi cognitor sedebat Episcopus; cingebant autem illum LAICI, tum consultissimi Juris, tum probitate spectati, quos ipse REX delegisset. Causæ CIVILES & pecuniariæ Tribunali huic mixto subiciebantur.

27. Hæc THOMASSINUS ex Hincmaro: quæ tamen ipsa apertius Natalis ALEXANDER expressit in *Hist. Ecl. Sæc. IX. & X.* inquires: si lis Cleri-

Clericum inter & Laicum moveretur, Episcopus cum iudicibus Sæcularibus ipsam dirimebat, ut docet Hincmarus.

28. Attamen monumenta ejusdem ætatis, non pugnantem quidem, sed variam hac in re disciplinam repræsentant: & illud docemur, Clericos in causis personalibus, sive *civiles* eæ essent, sive CRIMINALES, unius Episcopi sui aut Synodi iudicio subesse debuisse.

29. Contra MURATORIUS in memorata Dissertatione LXX. ex suis Italicis monumentis collegit, REGES FRANCO ITALIS imperantes, vel eorum MISSOS, in Causis CRIMINALIBUS fuisse ab iis CLERICIS interpellatos, qui se a proprio Episcopo læsos esse in iudicio putarent. Eodem vero Reges, secundum eum morem, qui, ut habes *ex num.* 19., sub Langobardis Regibus visus est, REVISIONEM causæ per suam iustionem illis Episcopis ipsis commisisse, de quorum priori iudicio Clerici conquererentur, cum onere tamen sententiam, quæ secundo prolata esset, mittendi ad Regem.

30. Commemorat deinde MURATORIUS iudicia non pauca, quæ coram Imperatoribus iisdem agitata sunt adversus Ecclesiasticos Viros, & EPISCOPOS quoque, qui contra honorem Regum, eique Juratam FIDEM moliti aliquid essent: ac addit, nimis se in longum abiturum, si exempla singula velit percurrere, quæ Historia suppeditat de actis ab Imperatoribus ac Regibus in Episcopos, Abbates & reliquum Clerum. Et in iis præterea omnibus recurrere semper quæstionem, illane auctoritate legitima, an potius PER VIM ATQUE USURPATIONEM peracta fuerint.

31. Plurima monumenta veterum periisse: ea tamen pauca, quæ injuriam temporum evasere, satis prodere, Romanos PONTIFICES, quibus cura & protectio omnium Ecclesiarum incumbebant, occurrisse quantum potuerunt, ne sacris hominibus vis inferretur. Et si qui criminum Reiforent, eorum causæ a legitimis ECCLESIAE Ministris dijudicarentur.

32. Fatendum est tamen, aliquando contra hos, qui de violata Regia Majestate convenirentur; ipsorum Regum assensione, sententiam latam esse ex Lege; nempe, aut Decreto Synodi, aut Romani Pontificis iudicio.

33. QUOD VERO per multa sæcula minime negatum Regibus video, inquit ibidem MURATORIUS, minimeque improbatum arbitror: ad Principum & Regum iudicium deducebantur LITES CIVILES, inter Ecclesiasticos Viros, aut a Sæcularibus contra eos excitatæ. Id Muratorius confirmat monumentis prolatis, ut solet.

34. Et ex primo quidem iudicato, ut ajunt, quod profert, habito

Anno 833. in Causa Episcopi Aretini, & Abbatis S. Anthymi in agro Clusino coram Agiprando Florentino aliisque EPISCOPIS & Missis Imperialibus; sic colligit; Itaque controversia illa, quamquam inter duas Ecclesiasticas personas agitata, Judices habuit Missos sive Legatos Lotharii I. Augusti.

35. Neque reponas, eos Judices Episcopali dignitate ornatos; Judicium enim illud non propria, sed delegata ipsius Lotharii Imperatoris auctoritate ii instituerunt, & sententiam tulerunt. Segnis vero non fuit Episcopus Aretinus in sibi procuranda illius Decreti confirmatione ab ipso Lothario Augusto, uti nos docebit ejusdem Imperatoris Diploma, &c.

Aliud deinde Monumentum evulgar MURATORIUS controversiæ actæ Anno 880. coram MISSIS Caroli Crassi super fundis quibusdam inter Monasterium Ambrosianum Mediolanense, & Augiense in Svevia situm.

36. Proxime vero confirmat, consuetudinem hanc judicandi de CIVILIBUS Ecclesiasticorum Virorum controversiis subinde amplexos fuisse eos etiam Principes, quibus summa pietas laudem conquirit omnium bonorum. Ad hanc rem profert MURATORIUS exempla Henrici I. Imperatoris ex anno 1019. tum aliud Mathildis Comitissæ & Ducissæ Tusciæ anni 1106. Et primum quidem Judicium est habitum de quibusdam terris coram Anselmo *Misso* ejusdem Henrici Imperatoris, inter Abbatem Monasterii Mediolanensis Sancti Ambrosii ab una parte, & Archiepiscopum Mediolanensem, & Episcopum Comensem, ac Abbatem Sancti Kaloceri ab alia. Alterum vero actum est coram ipsa Mathilde inter Episcopum Mutinensem, & Abbatem Pomposianum.

37. Rem absolvit MURATORIUS inferendo, hoc esse inconcussum, pios etiam Reges nequaquam a suo munere alienum putasse, Ecclesiarum, et Ecclesiasticorum emendationi ac regimini se se interdum immiscere, atque arbitratos id sibi licere, quodam veluti PROTECTIONIS Jure in nobilissimam hanc Populi sui portionem.

38. Neque profecto contra hiscebant, aut id moleste tulere Episcopi, aut ipsi Maximi Pontifices, quod perspicerent, eorum curam ac studium in ædificationem, NON IN DESTRUCTIONEM Ecclesiæ vergere: ac tum solum conqueri ac obistere cæperunt, quum in exuberantem licentiam, atque in nimiam Ecclesiarum PERNICIEM animadverterent converti consuetudinem istam.

39. Hactenus MURATORIUS de LITIBUS Civilibus inter Viros Ecclesiasticos, Quod enim ad lites Civiles attinet LAICORUM contra Ecclesiasticos

fiaticos excitatas , de istis nihil eo loco habet, nec monumentum ullum ad eas spectans evulgavit .

40. Cætera vero , quæ ad Lites Civiles inter Viros Ecclesiasticos pertinent , ego absque ulla animadversione præteribo : atque hoc unum admo-
nebo , Leges non modo Ecclesiasticas , verum etiam Imperiales seu Regales illorum temporum eam sanxisse Disciplinam , quæ factis a MURATORIO expositis contraria esse videtur; uti *num. 20.* habes ex THOMASSINO.

41. Sed tandem omnia bene constabunt , si factis illis ea accommodaveris , quæ cum BOSSUETO & aliis considerata proposuimus *Capite XII. num. 29. &c.* ; quo loco ostendimus , quam multa vetustis Sæculis ab alterutra Potestate sint acta , consentiente , aut connivente altera ; quin tamen , considerata Rei NATURA , vel inspecta TEMPORIS DISCIPLINA , inde duci possit argumentum pro Juribus statuendis Potestatis alterutrius .

42. Hoc præterea affirmandum videtur , ea , quæ MURATORIVS de litibus Civilibus inter Ecclesiasticos Viros Sæculo XI. & XII. acta esse comprobavit ; non , Ecclesia consentiente fuisse facta , sed CONNIVENTE tantum . Etenim (ut in narranda Disciplina pergam cum THOMASSINO) illorum temporum , & posteriorum etiam , frequentes CANONES legimus , in Galliis , in Anglia , in Germania , in Hispania & in ITALIA conditos ad munimentum hujus Clericorum Immunitatis , ut ne Clerici alteri Foro quacunque in causa essent obnoxii , quam Episcopali . Summa erat (ait Natalis ALEXANDER similiter in *Hist. Ecl. Sæcul. II. & 12.*) Episcoporum Jurisdictio Sæculis XI. & XII. Clericorum Causas sive CIVILES , sive criminales uni Episcoporum tribunali Canonica LEGES reservabant .

43. Iisdemque Canonicis Legibus cautum erat , ne sua etiam sponte liceret Clericis ad Causas etiam Temporales se Judici LAICO committere , præterquam (addebant aliqua Concilia) si id eis EPISCOPUS INDULSISSET .

Cum vero Acta Vetera , a MURATORIO prolata , spectent ad lites inter Episcopos , & ABBATES , & Abbates quoque illi , non secus ac Episcopi , essent certe exempti a potestate EPISCOPI Diæcesani ; ac proinde in subeundo de controversiis suis Judicio , consensu illius non indigerent ; fit ex hoc ut acta illa conciliari cum DISCIPLINA TEMPORIS facile valeant ; ideoque non id ex iis consequatur , quod MURATORIVS putaverat consequi .

44. **ILLUD** vero non alienum a vero existimat **THOMASSINUS**, ex concessionibus Episcoporum, ut vel Clerici coram Sæculari Judice litigarent, vel ut **LAICUS** Judex Clericis aut contumacibus, aut fugitivis manum injiceret; januam patefactam esse, qua Judices iidem, etiam citra hujusmodi licentias, impetum facerent in Immunitates **CLERICORUM**.

45. Cæterum **INNOCENTIUS III.** Sæculo XIII. Prælatos admonebat, ut jus dicere maturarent Laicis, qui Clericos coram ipsis reos egissent; ne exasperati eorum vel morositate, vel cessatione Laici, Clericos, eisdem (quod modis omnibus, ait, prohibendum est) ad Forum Sæculare trahant.

46. Deinde in Concilio **CONSTANTIENSI** confirmata est Constitutio **FRIDERICI II.** Imperatoris, qua declaratum fuerat, non posse Clericos a quoquam trahi ad Sæculares Judices, quacunque demum Criminali, vel **CIVILI** de causa.

47. **ILLUD VERO** diligenter advertendum cum **THOMASSINO**, Concilia, in primis Gallicana, post Annum Millesimum celebrata, suis in Decretis pro Episcoporum tuenda Jurisdictione conditis, nunquam, aut certe **RARO** conquesta esse de Regibus eorumve Ministris, utpotè qui plerumque Ecclesiæ Juribus servandis propitios se præstarent.

48. Ea ergo Concilia de **BARONIBUS** seu Ducibus ac Comitibus & Dominis cæteris Temporalibus minoribus habuerunt frequentissime quod expostularent; qui scilicet contumeliis Ecclesias lacecebant, variis in Regnorum Provinciis, in quibus dominabantur,

49. Regum in primis **FRANCORUM** pietatem commendat exitus, Ecclesiæ propitius, celebris illius Collationis habitæ coram Philippo **VALESIO** Rege ad tuitionem Immunitatis Clericorum & Jurisdictionis Ecclesiasticæ; de qua re dictum est *Capite superiori num. 28. -- 30.*

50. Ergo, **CAROLO IX.** Rege (non Francisco I., ut per errorem est apud Vanespennium) Anno 1566. per Edictum **MOLINENSE** personali Clericorum Immunitati in Causis **CRIMINALIBUS** vulnere grave tunc primum in **GALIIS** inflicum est.

51. Cæperat quidem jam usque ab Anno 1539. immunitas eadem per Leges **REGIAS** minui; eodem scilicet anno quo Episcopalis potestas in Causas Civiles Laicorum est labefactata. Verum etsi fauciatâ tunc est Personalis Clericorum Immunitas; retinebatur tamen adhuc, ait **THOMASSINUS**, pene integra & incolumis.

52. Horum Edictorum sententiam non refero; quoniam passim apud Scriptores leguntur: neque modum Judicii in Clericos commemoro, qui paulo post

lo poss in GALLIIS indictus est , & qui fert ut in peculiaribus Crimi-
nibus Judex tum Laicus tum Ecclesiasticus adversus Clericum rem cogni-
tores SIMUL fideant . Late etiam rem haecenus accepi , minus sollicitus
de sedula distinctione Casuum Civilium quoad Clericos , in Reales, Per-
sonales , ac Mixtas ; de qua re VANESPENIUS *Jur. Eccles. Univ. Par. 3.*
Tit. I. Cap. 4. & FRANCISCUS DE FOYE *De Missis Dominicis par. 2. Cap.*
ro. : & alia minuta praeterii , quae generalis regulae ponendae causam
non praebant .

53. Illis vero novis Edictis expositis , colligit THOMASSINUS , su-
peresse quod miremur , postquam multis conspirationibus ac plagis impetita
est Clericorum Immunitas ; non omnem tamen ejus aut reverentiam ex-
cussam esse , aut memoriam , in Edictis saltem RIGUM .

54. Nam si JUDICES Saeculares ultra Canones ; & ULTRA EDICTA
REGUM progressi ausque sunt aliquid in causis Clericorum Criminalibus ,
facta ea sunt , NON JURA ; non habent illi , quod sibi gratulentur ha-
bent Clerici , quod ingemiscant . De hac ipsa re conquestus jam antea
fuerat Cosmas GUIMIERIUS in *Pragm.*

55. HISLEM autem fere gradibus , quibus in Gallis , imminuta est
& in Regnis caeteris Personalis Clericorum Immunitas , de qua loquuti su-
mus haecenus .

56. Novum porro non est , inquit THOMASSINUS , in rebus ad ver-
fatilem disciplinam spectantibus aliud alio loco & tempore placere , & fre-
quentari .

57. Ne novum quidem est , SANGUINEM impendi , & MARTYRII
palmam colligi ex defensione Ecclesiasticae Disciplinae in eo usu sanctissimo ,
qui tum vigeat , & qui alio tempore & loco exolecat .

*Pœnae corporales , seu CIVILES , quas ECCLESIA
infixit vetusto tempore .*

58. Postremo loco delibemus aliqua ex hac ipsa Parte *Disciplinae* THO-
MASSINI , de Pœnis Ecclesiae corporalibus & Temporalibus , seu de Pœ-
nis CIVILIBUS , quas Ecclesia infixit vetusto tempore . Scilicet quantum-
vis paterna esset Episcoporum Jurisdictio ; Pœnarum tamen hujusmodi non-
nihil decernebat . Dicamus primo de VERBERUM vindicta .

59. S. AUGUSTINUS in ea fuit sententia , Episcopali judicio VIR-
GIS

GIS cædendos esse quandoque Reos ; cum hic modus coercionis adhiberi etiam soleat a parentibus in filios , a Præceptore in discipulos. Hinc Concilium AGATHENSE verbera & flagella decernit adversus Clericos & Monachos vagos : & in Clerico inferiori , eidem pænæ subjicit ebrietatem ; idque & GREGORIUS Magnus postea fecit .

60. Deinceps in Concilio AQUISGRANENSI anni 816. iusti sunt Abates Canonicorum ea , quæ in Regulam committerentur , punire non solum jejuniis in pane & aqua , verum etiam VERBERIBUS .

61. Rex ipse CAROLUS CALVUS in Concilio Sueffionensi II. agnovit , Episcopos & eorum Officiales in potestate habere , ut Rusticos VIRGIS cædi facerent , criminis cujuscumque convictos .

62. Ad Pænam EXILII venio . In Concilio V. Romano sub SYMMACHO Papa statuta est EXILII pæna in eos qui in Episcopos conspirassent : nec sola conjuratis indicitur Exilii pæna , sed & BONORUM PRIVATIO : & hoc Decretum fuisse antiquius significatur ; cui nunc solum novus additus est vigor .

63. Nuntio suo mandavit GREGORIUS Magnus *Lib. 9. Epist. 66.* (in edition. Benedictinor. *Lib. 1. Epist. 71.*) , ut Episcopo Paschasio instaret , quo Subdiaconum fratrum calumniatorem gradu dimoveret , publice FLAGELLIS cæderet , EXULARE juberet .

64. EXILII pænam GREGORIUS ipse indixit ei , qui se Defensorem agebat , cum non esset : *Lib. 10. Epist. 47.* (nunc. *Lib. 9. Epist. 62.*) .

65. In HISPANIÆ Conciliis Septimi Sæculi vel in INFIDELIS ipsos pænam Verberationis & EXILII perpetui statutam aliquando vidimus .

66. Videndum modo de pænis PECUNIARIIS. A prisca Conciliis præscriptæ sunt pænæ Pecuniariæ ; quibus minime adversatus est GREGORIUS Magnus , utpote qui non damnavit , nisi eorum Ecclesiæ Judicium avaritiam , qui passim Pecuniarias multas indicerent , ut Ecclesiæ thesauros congererent ex iniquitate Fidelium. Ipse immo GREGORIUS Magnus *Epist. 32. Lib. 12.* (nunc ep. 64. *Libri 11.*) fures affirmavit plecti debere nunc MULCTIS , nunc Verberibus . De ECCLESIASTICI autem Præfulis Potestate & Officio sermo ibi est .

67. Usitatæ vero fuerunt pænæ Pecuniariæ præcipue post Annum Christi millesimum : in quo caviri Ecclesia latis Legibus , ut omnis avaritiæ suspicio longe ab Ecclesiasticis Judicibus arceretur .

68. DE MORE , prisca Pastoribus ac Patribus usitato , recludendi Pœnitentes ac Reos vel in Monasteria vel in alia secreta loca , nihil hic placet

placet dicere, Huic tamen mori affinis est usus CARCERIS Ecclesiastici. A GREGORIO Magno *Lib. 8. Epist. 5.* (nunc *Lib. 10. ep. 4.*) iustus est Apostolicus Nuntius infandum quemdam Presbyterum in arctum contrudere CARCEREM.

69. Januario Calaritano Episcopo ab eodem Pontifice *Lib. 7. Epist. 67.* (nunc *Lib. 9. Epist. 65.*) mandatum est, ut residuos Sardiniae IDOLATRAS, SORTILEGOS, & huiusmodi cæteros CARCERE & pœnitentia puniret, si ingenui essent; Flagellis etiam, si servi.

70. CARCERIBUS & Exiliis in Clericos, & in Presbyteros animadvertisse Concilia & Præsules HISPANIARUM, idem GREGORIUS Magnus alibi observat.

71. Voluit tamen in *Epist. 34. Libri 10.* (nunc *ep. 31. Libri 12.*) ut Archiepiscopus Justinianæ primæ in Paulum Episcopum humanius aliquid consuleret, eumque in Monasterium conjiceret, ubi in reliquum vitæ tempus pœnitentiæ addiceretur.

72. Decrevit Innocentius III. ut qui Clerici facinorosi in Monasterii Carceres contrudi non possunt, ii detrahantur in Carceres Episcopales. In Concilio Lambethensi Provinciæ Cantuariensis anno 1261. statutum fuit, ut atrociora illa crimina, quæ Leges Civiles morte plectunt, carcere perpetuo ab Episcopis vindicentur.

73. Majorum ergo criminum Rei in perpetuum carcerem conjiciebantur, jejuniis ibi, aliisque carnis afflictationibus reliquo vitæ tempore macerandi; uti Innocentius III. & Bonifacius VIII. suis in Decretis declarant.

74. Ex quibus liquet (colligit THOMASSINUS), quæcunque pœnæ ab Ecclesiastico Iudice infligebantur, eas verissimas fuisse pœnitentias; quibus si qui inviti & repugnantes subiciantur, penes ipsos culpa est. Augustinum Angliæ Apostolum jampridem edocuerat GREGORIUS Magnus (*epist. 64. cit. Lib. 11.*) qui esset Clericorum sensus, qui animus, ubi acerbiores in Reos Pœnas decernunt. Charitate seviunt, non ira; castigant, quia amant, & temporali pœna cupiunt æternos ignes extinguere.

75. Hoc tamen verum est, in vetustis monumentis DUO PœNARUM GENERA aperte fecerni, quantum aliæ medentur, ait THOMASSINUS, aliæ cruciant, etsi reapse & medeantur & crucient utraq;.

76. Postquam idem THOMASSINUS multa subinde seu per intervalla congestit monumenta, ad Ecclesiasticas temporales seu CIVILES PœNAS spectantia; sic tandem colligit: Habes hic ergo in pœnis Canonicis; MULTAS pecuniarias, proscriptiones BONORUM Mobilium, SERVITUTEM, Exili-

Exilium perpetuum, perpetuum CARCEREM, cum aliarum Pœnarum cumulo, quas arbitrio suo poterat Judex Ecclesiasticus decernere. Video non omnes has Pœnas in CLERICOS fuisse designatas. Sed nemo nescit potiori jure & auctoritate in Clericos quam in LAICOS, Præsules fuisse. Hæc ille.

77. EA QUÆ ad Pœnas Ecclesiæ corporales & CIVILES spectant priorum Sæculorum, paucis verbis complexus est omnia Natalis ALEXANDER in *Histor. Ecclesiast. Sæculi VI. Cap. 6. Art. 3. num. 9. scribens*: In foro Ecclesiastico non MULCTÆ tantum Pecuniariæ, sed pœnæ CARCERIS, EXILII, VERBERUM, SERVITUTIS adversus Reos decernebantur.

78. Id ex Epistolis GREGORII Magni compertum est; & ex Conciliis Galliæ, AGATHENSI, Aurelianensi quarto, Matisconensi primo, Narbonensi; & ex Conciliis HISPANIENSIBUS, Emeritenfi, Toletanis undecimo, & decimosexto. Ista Natalis ALEXANDER.

C A P U T XX. & ULTIMUM

De Immunitate Redituum & AGRORUM Ecclesiæ, POSITIONES HISTORICÆ.

1. **I**AM tandem devenimus ad ultimum hujus *Commentarii* Caput seu ad axiomata Historica, representantia origines, progressus, ac vicissitudines Immunitatis TERRARUM ac Bonorum Ecclesiæ.
2. Latissime in hoc argumentum excurrit Ludovicus THOMASSINUS *Discipl. Eccles. Part. 3. Lib. 1. Cap. 33. -- 48.*, e quo potissimum hæc nostra mutuaturi sumus; adjungentes ei tamen in societatem MURATORIUM, Natalem ALEXANDRUM, & forte alios; Fontes quoque non raro dispicientes, ad proponenda cuncta vere, definite, ac, quantum licet, perspicue.
3. Rebus & Fundis Ecclesiæ Immunitatem a TRIBUTIS, seu, ut Natalis ALEXANDER loquitur, ab OMNIBUS Oneribus Publicis, concessit